

differentia. Itaque sicuti ex prædicatis indifferentibus inferimus essentiam hominis non esse rationem existendi, sed habere existentiam superadditam, sic ex eadem indifferentia debemus inferre modum illum non esse rationem existendi, sed superaddita existentia indigere; vel melius dicam, hæc indifferentia non arguit rationem superadditam existendi in modo illo, quem constituit opinio distinguens essentiam ab existentia; ergo neque illam arguit in essentia ipsa; ergo male dicitur, quod talis indifferentia admitti debeat existentia essentia superaddita.

57 Tum quia ideo dicimus, hominem ab æterno habere suam essentiam, quia ab æterno verum est dicere, homo est animal rationale, ideoque dicimus ab æterno fuisse possibilem, quia quocumque instanti æternitatis potuit a Deo produci; atqui etiam ab æterno fuit verum dicere, illa formalissima ratio existendi, & actualitas vltima rei in quocumque æternitatis instanti potuit a Deo produci; ergo ab æterno habuit suam essentiam; ergo ab æterno habuit indifferentiam, & possibilitatem ad existendum, & non existendum, atque adeo eodem modo philosophandum esset de ipsa essentia, ac de modo illo; quia si modus ille per se ipsum existit; ergo & ipsa essentia per se ipsa existit de facto, & ideo non indiget modo existentiā a se distincto, quidquid in cōtrariū seriat Albertinus in prædicamēto substantiæ disp. 1. q. 1. n. 34. vbi dicit essentiam existentia non habere esse ab æterno, sicut habet esse ab æterno actuale essentia hominis; sed hoc est falsum, quia nulla rei creatæ essentia habet esse aliquod actuale absolutum ab æterno; eo quia illud esse actuale necessarium foret essentia creaturæ, vt distinguerentur ipsa creaturæ a chimæra, & fieret ab æterno possibilis; Illa etiam essentia indigeret illius modi, quæ non posset distingui a chimæra ipsa, nec constitui non repugnans per esse actuale essentia distinctæ realiter ab illo modo, & ab illius essentia, quod sic suadetur. essentia illius modi per se ipsam est non repugnans, & per seipsam distinguitur a chimæra, quælibet enim entitas per prædicata essentialia, per quæ in se constituitur, in se distinguitur ab omni alio; ergo essentia modi non constituitur non repugnans, neque distinguitur a chimæra per aliquod distinctum ab ipsa; ergo non constituitur non repugnans, neque a chimæra distinguitur per esse actuale essentia, quod realiter distinguitur a essentia existentia, & ab ipsa essentia indistincta realiter a sua existentia.